

gligit SCHMIDIVS, ita tamen, ut ipsam iussionem non neget, sed eam tantum a voce *τηρεῖν*, non *ἐπιωσι* suspendat. Negari non potest, significationem hanc vocis subinde in scriptura occurrere. Quando enim Marcus dicit, *ἔπε* dixit, eum vocari, idem est, ac iussit, eum vocari, c. X. 49. cf. Matth. IV, 3. Marc. V, 43. Matth. XXII, 21. 1. Cor. VII, 12. &c. procul dubio ad imitationem vocis Ebraeae *רמא*, qua utitur hic Syrus. Nobis tamen perinde est, sive quis cum Luthero *sagen* / sive cum *KÁROLI parantsolnak*, cum Bohem. *rozkázáli*, reddat. Iubebant enim dicendo; dicebant iubendo: iubebant, quia vices Dei gerebant; dicebant, quia auctoritatem iubendi, non nisi dicendo, exequebantur. *Quae enim dicebant*, ait CHRYSOSTOMVS, *consultum erat accipere, non, ut ab ipsis dicta, sed, ut a Mose dictata, in Cat. PP. ad h. l. T. II.* Discamus hinc licet, quanti Deus ordinarias faciat vocationes, & legitimam ministerii successionem, in Phariseis, inquit ARETIVS ad h. l.

§. VIII. Inter vocabula *τηρεῖν* & *ποιεῖν* vix intercedit id discriminis, ut prius ad praecepta *negativa*, posterius *affirmativa* sit referendum. Non enim tantum bona facienda, mala omittenda erant Iudaeis, secundum legem, sed credendum etiam, secundum euangelium. Quae ratio procul dubio mouit GERHARDVM, ut illud ad credenda; hoc ad agenda referret. Neque tamen in hac sententia acquiescit SCHMIDIVS, sed mauult illis subscribere, qui per *τὸ τηρεῖν* *custodiam cordis*, per *τὸ ποιεῖν* *executionem operis* intelligunt, hoc insuper addito, vtrumque & ad credenda, & ad agenda esse referendum, ita, vt quoties vel solum *τηρεῖν* vel solum *ποιεῖν* repetitur, repetendum sit etiam alterum. Vtraque sententia mentem dicentis exprimit, & calculum meretur; propius tamen, si dicendum, quod res est, ad rem accedit